Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 741
Quelle:
Copyright:

ſum. ac de inimicis perpetuum triumphum. Qualiter Saladinus uerę crucis. et chriſtianorum inimicus. regem noſtrum (Guidonem) *et eius exercitum. menſe iulio* (die 3 — 5.) *cepit ſuperauit. qualiter et uiuificam crucem damaſcum aſportauit. nec non qualiter ciuitatem ſanctam ieruſalem et regnum totum ſubiugauit. qualiter et patriarcham* (Heraclium) *et canonicos ſepulchrum recolentes. monachos omnes et heremitas. uirgines deo dicatas ſeruituti ſuę redegit. et redimere fecit. clementię ueſtrę regni ueſtri iam dudum credimus propalatum. Remanſit ſola tyrus. quam ad laudem et gloriam regni ueſtri et omnium chriſtianorum retinemus. Sed ferus ille Saladinus chriſtianorum debellator. poſt tantam deſtructionem. et talem deſolationem. ſua potentia tyrum appropians. a feſto omnium ſanctorum* (al. a feſto S. Martini) *usque ad circumciſionis diem. per mare et terras nos obſedit. et cum galéis et manganis* (μαγγανοις, tormentis jaculatoriis) *et gattis* (quibusdam navis, aliis vineae aut plutei bellici ſpecies) *et caſtris et igne. et cum omni genere edificiorum diu noctuque nos impugnauit. ſed potentia domini fretos qui ſanat contritos corde. et eius dextera ſuſtentatos. in nullo nos dampnificauit. Immo ut eius potentiam poſſemus confringere. et nequaquam dicioni eius ſubiceremur. in die beati Silueſtri de miſericordia domini confidentes. armata manu galéas et alia ligna aſcendimus. et paulo ante lucem obuiam galéis ſarracenorum iuimus. et quinque ex eis retinuimus. et admiratum* (Admiralium vulgo) *ſtolum Bederdinum nomine. et Caydum* (Alcayde nomen officii) *et Adelmenſem et alios quoque nobiles cepimus. et in uinculis detinemus. Et dum in conflictu eſſemus galéarum. Saladinus uenit ad muros ciuitatis armata manu. et uiriliter expugnare cepit. et nos uirtuoſe cepimus ei reſiſtere. Deſcendentibus uero noſtratibus de galéis cum gaudio et exultatione ad muros properatur. et eos procul eiecimus. et plus quam mille ex eis interfecimus. et ſic nos uiſitauit deus. et fecit. R. P. S.* (redemtionem plebis ſuae) *et ab obſidione eum ceſſare fecit. Preterea diuina prouidentia in tantum corroſimus eum. quod reſiduas galéas et cetera edificia manu propria concremare eum oportuit. Itaque nulla galéa ei remanſit. et per omnia nos mare liberum tenemus. et cum una galéa quam habuimus XV. modo galéas poſſidemus. quas omnes diuino nutu Saladino abſtulimus. Chriſtiani uero expectantes auxilium ueſtrum. ad honorem ueſtrum et omnium chriſtianorum retinent Craccum et montem regalem Belueder. et Saffetam atque Belfort et Tyrum quam uobis reſeruamus. Quare celſitudini ueſtrę ſupplicare non deſiſtimus. quatenus ueſtigia predeceſſorum ueſtrorum ſequi dignemini. et terram ſyrię olim a predeceſſoribus ueſtris* (quibus illis?) *perdomitam. nunc a barbaris occupatam. de poteſtate paganorum liberare non ceſſetis. Quae clamemus* (quem inclamemus?)